


N. Lat.

617

Widit bei Mech. B.

34/BA2-



Blank page with faint pencil markings and a large water stain.

M
CHR
VELT
ab

AD I
LVI

Illo
cipi
D

PER I
UT

Ex
B

Arm. IV. D. ~~116~~ 116.

MILITIA

CHRISTIANA: IN QVA

VELVT PER HYPOTYPOSIN

ob oculos ponitur quomodo

sit contra vitia pu-

Bibliotheca gnandum: *Zucumburg.*

AD ILLUSTRISSIMUM

LVMEN PATRIAE CAROL-

umFridericum,

Illustrissimi, Clementissimiq; Prin-

cipis D. Guilielmi Iuliae, Clu. & Mont.

Ducis, Mar. & Rauens. Comitiss,

Domini in Rauenstein &c.

Filium clarissimum.

PER IOANNEM BREIDBACHIE

um Dusseldorpij bonis li-

teris insudantem.

DVSSELDORPII,

Excudebant Ioannes Oridryus & Albertus

Busius Affines An. 1560.

20 N.Lat. 617

2we

v.16

LANDES-
UND STADT-
BIBLIOTHEK
DUSSELDORF

69.243,7

MILITIA CHRISTIANA

NA AD ILLVST. LVMEN PA

TRIAE CAROLVM FRIDE

ricum illust. Principis Iul.

Cliu. & c. filium.



Rma Ducesq; cano, quibus un
diq; machina mundi

Quassa fremit, quibus aula po
li tremit, acta fragore

Armorum horrisono, stygium
quibus intonat antrum.

Scilicet in Christi populum quæ Iuppiter aulæ
Cerberæ mouet, & quæ contrà turba piorum
Christiadum, Ducis ætherei nil sancta recusans
Castra sequi, & uitam stygijs opponere monstris,

O fortunatos, ô terq; quaterq; beatos,
Quos Rex sydereus miti complectitur ala.

Antè charybdæos nauis reuoluta per æstus
Sorbebit laxis laterum compagibus imbrem

Hostilem, et crebro pelagi quassabitur ictu:
Tantæ molis erit contingere littora uitæ.

Sed tandem undiuomi latrantibus eruta Ponti
Faucibus, ad portus pleno fluet ostia uelo.

Lucifator, mundi qui tractas solus habenas,
Imbre riga largo cœlestis corda caloris,

Vt tantæ possim causas recludere pugna,

A

2

Et bellis

MILITIA CHRIST.

Et belli nexus, & torta resolvere uincla.

Tuq; ô Iuliaci lux illustrissima regni
Carlfriderice, decus patriæ, & spes una laboris,
Huc ades, & nostræ clemens illabere menti,
Pignora suscipiens sincero pectore parta.
Non uada Pierij fontis, non Phocidis undas
Aggredior, sed diuinæ certamina pugne.
Huc ades, & lacerâ rege per freta cærulea puppim.
Te Duce uela damus, tu nostrum dirige cursum:
Et dignare grauis nodos euoluere belli.

Liuor edax Furias in funera nostra fatigat
Tartareas, quæ corrodunt pia dente canino
Regna, Dei fuso per uulnera sanguine parta:
Fumantisq; calens in nos recruduit iræ
Vulnus, ut exhaustis penitus sudoribus atrî
Plutonis Christus spolijs indutus in arcem
Scandit olympiacam, & peccati mole sepultum
Asseruit genus humanum, quod sorpserrat ore
Sanguineo squalens monstrû graue olentis Auerni.
His accensa fremit causis Plegetonis opaci
Sordida proluues, & nos quibus ætheris arcem
Annuit omnipotens, Plutonia regna subire
Ardet, & in nostram feruenti Marte salutem
Nititur, & nobis felicia prætatorantis
Inuidet, & nostrum interitum latratibus urget.

Dû loquor, horrissonis ululatibus æstuat amnis
Cerberæus, mugitq; solum, reboantq; figuræ

Immanes

Immanes Erebi, & rabies bacchatur in Orco.
 Arma fremūt, acuiuntq; animos flammantibus iris.
 Centimanus Dux ipse furit, centenaq; iactat
 Brachia: spumantes eructans faucibus æstus,
 Intorquet uario sinuosa uolumine terga.
 Iamq; quatit stygiam mugitu buccina sedem,
 Monstraq; uipereo que pauit lacte megera,
 Cerbereiq; canis spuma, lernæq; cruore,
 Accurrunt properè, & latrantia guttura soluunt,
 Sanguiuomisq; ignes irarum naribus efflant.

Aduolat horrendo uentosa superbia flatu:
 Et simul Ambitio, inflammata cupidine laudum.
 Languentiq; uolat uultu fucata uoluptas,
 Cæcus Amor, pharetraq; potēs comes additur illi:
 Et foeda ebrietas, luxusq; libidine feruens.
 Inuidiaq; adsunt liuentia tela ueneno.
 Insuper ira tumet spumanti feruida rictu.
 Virus auaritiæ nigrantes explicat alas.
 Inde soporifero lethes è gurgite torpor
 Languidus emergit, uitij's alimenta ministrans:
 Deniq; quicquid alit monstri teterrimus Orcus.

Duces ex-
 ercitus
 Satanici.

Has furias cantu tuba dum stridente uocasset
 Ad solium flammis crepitantibus undiq; cinctum,
 Aula strepit, latrant stygiæ clangore paludes:
 Et uario fremitu resonant. Tum iuppiter orsus
 Tartareus, fauces in uerba tonantia soluit,
 Fulmineoq; fremens furiosa per agmina dente

MILITIA CHRIST.

Sic ululat. Me ne incepto desistere uictum?
 Nec posse æthereis auertere sedibus hostes
 Christigenas, Orciꝫ igni torrere sub antro?
 Quippe uetor fatis. Quondã ne ego solus habenas
 Contrectans sceleris sepeliui carcere quosuis,
 Imperio parere monens? Nunc ergo recessit
 Ille calor, uiresq; exhaust sic tonantis?
 Quæ nunc ergo mihi surgit sententia, pandam.
 Tartarei proceres, quos hic habeoq; regoq;
 Furta paro belli, nitorq; repellere cœlo
 Christicolas, & (uestra mihi si certa uoluntas)
 Afflabit nobis uento fortuna secundo.
 Huc ades egregijs pharetrata superbia telis,
 Inq; uirum spargas lernæum pectora uirus,
 Vipereamq; animam, cœcoq; furore tumentem.
 Huc ades Ambitio: fucatæ corda peruras
 Laudis amore, terens feruentia pectora flammis.
 Huc ades, ô nimium nostris accepta medullis,
 Fraude doloq; potens mea iussa capesse Voluptas,
 Mentibus intexas nubes, luxuq; perungens
 Lacteolo strictis omnes inuoluito uinclis.
 Insuper ebrietas stillantia pocula melle
 Cerbereo prætexe, lutoq; immerge iacentes,
 Ut mentes tenebris rabies obnubilet atris.
 O Luxus cæco circumlita tinge ueneno
 Spicula, quæ fodiant placitis præcordia flammis.
 Huc ades Inuidia, & nunc fulmine uocis aperto,
Murmure

IOAN. BREIDBACH.

Murmure nunc tacito ferias, & corda peruras.

Ira calens, rixas spargens dissoluito pacis

Vincula: terra natet perfusa cruore fluenti.

Huc auri sitis ardescens, atq; belluo numi,

Vnguibus harpeis discerpito uiscera fallax.

Fortiter ô comites fluxis succurrite rebus.

Nunc tectis opus insidijs, nunc Morte furenti.

Hæc ubi dicta, Canes eadem simul ore fremētes

Qua data porta ruunt, & terras agmine cōplent:

Adduntur ducibus comites, & monstra Baratri,

Millia quot non fert feruens Appulia muscas,

Infremuere feræ, resonat mugitibus aura.

At tū Christicolū præcordia concoquit horror:

Tanta monstra lacu plutonia mole feruntur

Lethæo, quatiuntq; metu fortissima corda.

Aestuat ira tonans, erumpit pectoris ardor

In Christi gentes, & cœlum contremitt armis.

Tum Rex aëreus socios horrore sepultos

Erigit, & dictis mœrentia pectora mulcet.

O socij, quid corda nouo terrore liquefcunt?

Militiane rudes adeo? succumbere telis

Ignitis iuuat, & positis trahere ocia curis?

Ocia somniferæ lethes è gurgite ructat

Tartarus, ut torpor molles effœminet artus,

Et cœno mergat, ducatq; per auia mentem.

Limina, sopitis fumo torporis inertis

Sensibus: id metuens Genitor, qui temperat orbem,

Christi
oratio.

MILITIA CHRIST.

Curarum uoluit torqueri castra per ignes
 Christigenum, crebroq; dies hos claudere bello,
 Ecce canis stygius tripalentibus intonat horrens
 Faucibus, & comites furiali torquet Erynnē
 In cladem, pestemq; hominum, stimulisq; fatigat.
 Armati sunt mille dolis, & mille nocendi
 Artibus: inuadunt mortalia corda tenebris,
 Et nunquam uigiles declinant lumina somno,
 Et uobis, uitæq; inhiant, ne ctuntq; saluti.
 Retia: lethali maculantur spicula felle.
 Nunc tectis agit insidijs, nunc fulminat armis
 Orcus hians, & uos sub aperto Marte fatigat,
 Mœnia concutiens animi, & penetralia mentis,
 Lubricus adrepens languentia membra sopore
 Opprimit, ut captos oculis uoret ignis Auerni,
 Ecquid adhuc igitur molli torpore soluti
 Diffluitis? quid nam uino, somnoq; sepulti
 Stertitis in decimam dum lux attollitur horam?
 Arma uiri capite, & Pestes arcere furentes
 Cura sit: atq; dolos, & tentamenta cauete.
 Ite animis contrâ, & uanum remouete timorem.
 Horribilis furia est, & cœlum territat armis,
 Viribus ast omnis præfracta potentia nostris:
 Serpit humi Pluto: telluris mersus in aluo
 Deuci stygias magno certamine vulpes.
 Peruigil ille Draco sinuosa uolumina texit,
 Vt uerit incautos sitibundo gutture fucos.

Sed

Sed reuocate gradum, ne deuius error in æquor
 Vos rotet exundans peccati fluctibus atris.
 Corporeo donec pugnatis carcere septi
 Non statio linguenda, rati grauis ingruit humber
 Christigenæ semper, nec habent certamina finem:
 Vita laboriferis circumuallata periclis:
 Sed dabit æternam uictoria læta coronam.
 Quilibet herculeo meritò sudore madebit,
 Præmia cum nunquam penetrarint abdita mentis,
 Quæ dabit astrigera Genitor uictoribus aula.
 Instaurate animos, olim meminisse iuuabit:
 Per uarios casus, per multa pericula iacti
 Tenditis in cœlos, ubi cœlicus ordo resultat.
 Me duce Scyllæam rabiem, furiasq; Baratri
 Vincetis: mea Cymba **N**oti stridentibus alis
 Me duce læsa nihil portum continget amicum.

Dixerat, exultant animis certare parati
 Per pauci numero, sed bello uiuida uirtus.
 Sed magis, atq; magis numerus crescebat in horas,
 Nubiferis ueluti primum fluit Alpibus algens
 Rhenus, & angusto sulcat sata pinguia cornu:
 Viribus hinc auctus latis sua brachia neruis
 Labendo uictor surgens expandit in agros,
 Latifluoq; sono tumet auxiliaribus undis,
 Donec in æquoream prorumpat Doridis aluum.

Tunc adamantæo nodo nectuntur amoris:
 Conueniunt, stygius quos Cerberus euomit æstus.

MILITIA CHRISTI.

Matthæus Passuri, aspirante Deo, uiresq; ferente.
Buccinator. Matthæum Christi uitalia facta docentem,
 Aere mouere uiros; bellumq; accendere cantu
 Ore uolunt uno, ut flagrans clangore tubarum
 Pectus ad illustres pugnas atq; arma feratur.
Paulus Signifer. Signifer eligitur Paulus certaminis, uno
 Consensu: Ratio totius tractat habenas
 Corporis, & Regis merito sibi uendicat usum:
Ratio Rex. Hunc capitis summa natura locauit in arce,
 Hic residet fulgens, sceproq; insignis eburno:
 Nil nisi iusta suis regali fulgidus ostro
 Imperat, insano ne mens ruat ebria motu
 In uitium: residet iouis ales uertice summo,
 Ut dum remigio pennarum nubila tranat,
 Seuocet abductam moribundo à carcere mentem
 In cœli patriam, & sensus fuligine nigros
 Fecibus exoluat fœdis, & carne lutosa:
 Ut neq; repat humi, & tantum cœlestia curet.
 Auratum tempus frondentia ferta coronant:
 Hic nitet auricomis splendens sapientia uultu.
 Dicitur hic oculus mentis, lumenq; decorum,
 Quale habuit Lynceus penetrâs caua nubila uisu.
 Dicitur & Titan, quod recto tramite currat,
 Sit licet interitu primi uitiatus Adami.
 Hunc sibi proponunt Regem, quem si sequeretur,
 Ensis in herbisecam uersus putredine falcem
 Sanguinis hauriret nihil, & florente quiete
Riderent

Riderent omnes ne solus torpeat aula,
 Adduntur famuli sensus, qui praelia gignant,
 Praelia christigenis multum paritura laboris.
 Ille suos cupiens submittere colla lupato,
 Talibus aggreditur uerbis, frenoq; coercet.

Cur sese effundens non audit currus habenas?
 Cur uestris agitor furijs, clauoq; relicto
 Per fluctus uoluoꝛ carnis bacchantibus Euris?
 Subdite colla iugo, ne nube furoris inumbret:
 Hostis oues laniet sitiens, & guttura mergat
 Sanguine: nam simulac dubia prosternor arena,
 Voluitur in praecipitissimum corpus habenis.
 Quis retinere queat lapsum de uertice saxum
 Pinifero, quando uolucris trahit omnia cursu?
 Me monstrante uiam uirtutum culmina recto
 Scandis homo gressu: uita sum limen apertum.
 Ancipites nosti nebuloso in pectore sensus,
 A Ratione gradum, uitaq; à limine flectis?
 Me scrutator amet ueri, pronusq; sequatur:
 Inter mille latens sentes uerum ipse retexo.
 Et uitij caecum uia lubrica tendit in antrum:
 Ad uirtutis iter scabrosis sensita saxis
 Sternitur idcirco casti rego lora cerebri:
 Ne titubent igitur sensus, mea iussa faceisse.
 Deuinces medijs animi penetralibus hostem
 Fixum, & mentito pacis tibi foedere iunctum:
 Hic struit insidias, caecoq; uolumine fraudum

Rationis
 Regis ora
 tio.

Appetit

MILITIA CHRIST.

Appetit incautum: quoniam non creditur hostis:
Scilicet hostilis cordis se immersit Adamus
Visceribus, cuius factus, sed squalidus hostis.
Hic opus auxilio, centenaq; lumina fronte
Expandenda mihi, ne te demergat in Orcum.
Ergo uenenato telorum felle madentes
Effugies nymbos huius, faciliq; domabis
Arte feram carnem, mea si modo iussa sequare.

Dixit, & hunc Regem multo sudore sequendū
Signifer esse canit Paulus: mentesq; tenebris
Exiit obsessas, docto medicamine sanans.

Procedunt igitur generoso Rege reſecti.

Arma, arma, ingeminant pugnae feruore perusti.

Arma
Christiana
norum.

Arma faber cudit Paulus caelestia tingens
Igne nouo, quem dant caelestis pabula uerbi.

Inde salutarem candentia mergit in undam,
Vt fera sustineant furiarum tela Baratri.

Ardentes sunt arma preces, & conscia recti
Mens sibi: sed Clypeus telorum flamina contra
Cana fides, Erebi minitantia tela retundens:

Hæc contra pestes est murus abeneus Orci.

Pagina sacra loco pharetræ: quod fonte perenni
Hoc scateant animi largo medicamina riuo.

Hinc promunt sua tela, crucem, spinisq; coronam
Contextam scabris: quam Dux madefecit Iesus
Sanguine, distētus trabe, nostraq; furta rependens.

Armatura crucis Christi compage tenetur:

HAC

Hac poterit miles stygias deuincere feces,
 Victor Idumæis exornans tempora palmis:
 Si modo decerpit ueros hac arbore foetus.
 Talibus instructi telis, sibi posse uidentur
 In Duce Christigenæ quiduis, qui Marte suorum
 Sustinet, & fulcit toto, & uirtute ruinam.

Ante tamen Paulus sic uoce silentia frangit
 Signifer, accendens animos ad prælia iusta,
 Ne stygius sensus sopitos obruat hostis.
 Este uiri comites, Pluto cadet horridus ille,
 Horridus ille cadet: Regi confidite Christo.
 Concultate metum, si quis quatit abditus ossa.
 Si labor hic proprijs subeundus uiribus impar,
 Esse caput Christum Baratri cui subiacet antrum
 In mentem ueniat, cui cœli militat aula.
 Hoc Duce cum lætis aures circumuolat alis,
 Tempora fronde premens uiridis uictoria lauri,
 Ne mentes inflet turgente superbia flatu,
 Atq; suis ne quis felicem uiribus auram
 Arroget: id totum solius Regis honori
 Attribuat Christi, persoluens supplice grates
 Corde Deo: hoc ductore Canes superamus Auerni.
 Ecquid habes, quod non bonitas immensa Tonantis
 Attribuit? cur nam uento efferuescit inani
 Pectus, & in tumidos uentoso diffluit æstus
 Turbine? quin rapidos refrenas pectoris ignes?
 Forsitan horrissonis in te quoq; sæpius hostis

Pauli ora-
 tio.

Flatio

MILITIA CHRISTI.

Flatibus incurret, tumidisq; procella Baratri
 Rictibus, & mentis quassabit moenia crebris
 Ictibus: horrēdam in Scyllam, seuamq; Charybdim
 Aspice ne mentem tentatio crebra labantem
 Mergat, & exundans Erebi feruoribus Aethna
 Hauriat incautum: sed Christi ad septa recurras.
 Maxima sydereo dicatur gratia Regi:
 Hic quos ambabus natos amplectitur ulnis,
 Explorat, punit, solitoq; exercet amore.
 Scilicet ut flauum splendescit in ignibus aurum,
 Nubila sic fortis declarant tempora mentem
 Militis: in Furias armis ardentior ito,
 In te Tartareus quo saepius irruit horror.
 Hinc animum subeat uexatio fortis Iobi.
 Miles ut in rebus latis praeludit arena,
 Cum cubat hostilis manus, & terit otia segnis,
 Atq; soporiferæ non haurit munera noctis,
 Ne dum somnus adest demulcens corda quiete,
 Sorbeat insultans inhianti fauce leæna
 Proflantem naso somnum, iugulumq; resoluat:
 Sic & Christigenas uigilanti mente cohortes
 Euigilare decet, ne languida membra sopore
 Eumenides mandant, uastaq; uoragine gurges
 Discerpant: latrans furibundo murmure lethes
 Cerberus horrendis quia nos circumsonat alis,
 Quem uoret euigilans, rabidi de more leonis.
 Hunc ut retrudas rumpentem fulminis instar,
In somno

In somnum segnis ne soluat inertia pectus.
 Hac ratione Canis uibrata retundito tela,
 Expue, ceu uirus lerneo felle recoctum
 In mala, quæ uasfra tibi suggerit arte dolosus,
 Ardua sollicitans flagrantibus æthera uotis.
 Anchora sit præsens sacrati pagina uerbi.
 Cum pugnas scuto ne tela reflectito tantum,
 Sed manibus correpta ferox in mōstra retorque.
 Si scelus intendant, transfer pietatis in usum.
 Cum te fucato, pennata superbia uento
 Euehit efflatum, penitus deflectio cristas,
 Teq; lutum, cinerem, bullamq; memento fugacem.
 Si labor absterret, quem te exhaurire necesse est;
 Ne pugnae spectes aloën, sed mella reuolue,
 Quæ dabit Augusto uictoria leta triumpho.
 Ergo caue quoquam deflectas limine uitæ:
 Nam Christus lux, uita, salus, spes, unica sedis
 Ianua coelestis, clausum quæ pandit Olympum.
 Ut rosa uerna nihil pungentibus obsita spinis
 Leditur: in tenebris ita lumine ut amouet umbras
 Fulgenti lux ista, nihil titubabis in umbris,
 Prælucente tibi ne impingas, luce corusca.
 Ergo huius summo conamine castra sequamur.
 Talibus incensam turmam inflammauit ad arma
 Spemq; dedit dubijs animis, soluitq; tremorem.
 Lucifugos contra cœtus placet arma mouere:
 Haurit amor pugnae corda exultantiapulsans.

Huc

MILITIA CHRIST.

Huc ades augusti regali principis orbe
Sanguine, iuliacis qui lora gubernat in oris,
Nobile stemma, decus patriæ, & spes unica regni,
Talia bella moue contra horrida monstra Baratri,
Patris ad exemplum, qui regni frena gubernans
Pace sacra florente, feras mauorte fatigat
Cerberreas, stygiamq; omnem uim uiribus exit.
Nec uomit arma furor, sed centum uinctus ahenis
Horridus ore fremit nodis super arma cruenta.
Et tantum uitijs indixit bella nefandis.

Carlfriderice, seges roseo fulgentior ostro
(Speramus letam messem) tu squalida monstra
Aggrediare prius: non primos sustinet æstus
Mens fragilis populi: compesce ferocia tela.
Huc ô Iuliacæ Dux Augustissime sedis:
Nos tua turba sumus: nobis tua regia uirtus
Impluat aduersus reboantia fulmina uires.
Huc cum prole ueni, rege spicula nostra per auras,
Te Duce Tartareos uincemus fortiter hostes.

En iam noctipotens manus atro erupit Auerno.
Nunc opus Eumenidum rabiem prosternere ferro:
Ferro, quod uerbi cœlestis pagina cudit.
Pro superos quanto fremitu, tonitruq; feruntur
Monstra? qbus tellus tremefacta boatibus horret?
Ut quatiunt cristas? heu quanta mole mouentur?
Ut mugit dux ipse? ut fauces sulphure fumant?
Nunc opus est animo, summa nitamur opum ui

PRO

IOANNI BREIDBACH.

Pro se quisq; uiri, sudor fluat undiq; riuis.

Ecce ruit primo densata per agmina motu.

Hæresis, horribilisq; fremens sinuata Draconis
Terga premit, flammæ oculis, ac naribus efflans
Fluctuat, accenso scintillant lumina felle.

Hæresis
impia.

Tela uenenatis fundens contorta lacertis,
Rumpere anhelanti primum fremit agmina cursu.

Eheu flenda dies, qua lactea pabula monstro
Præbuit infando stygiæ fera mamma megeræ.

Dum tonat igniuomo quatiens pia fulmine castra
Telorum, penetrant quorundam pectora flammæ.

Quis cladem illius pugnae, quis funera fando
Explicet? heu quanta cæcum caligine pectus

Mergitur illorum, quos flammæ tela perurunt?
Tela uolant tali per tempora tincta ueneno;

Debentur meritis cœlestia mœnia solis.

Hoc Fera quorundam percussit pectora thyrsos:

Sed melior tali clypeo pars excipit illum,

Sola fides reserat cœlum: moderamina legis.

Ecquis homo implebit? meritis si regia cœli

Debetur, certè nos omnes Mauriet Orcus.

Quorsum spectabunt perfossi uulnera Christi?

Nunquid opus luteum culparum uoluitur undis?

Hinc aliū cæcis stygium implicat ossibus ignem,

Aspergens alio sacri documenta colore,

Quam deceat, fontis: sed scutis talia quidam

Detorquent: quorum præcordia dente momordit

B VIRUS

MILITIA CHRISTI.

Virus atrox, pulsant morientes calcibus auras,
 Insurgit Rabies, & inumbrat sydera telis,
 Defigens iterum penetrabile virus in ossa:
 Infremit, ingreditur per apertum turbida campū.
 Telaq; iam claudum stridentia torquet in agmen:
 Hinc aliud super, atq; aliud figitq; uolatq;
 Horrisono gyro. clypeis pars sustinet illa:
 Quorundam tranant tripatenti uulnere uenas:
 Talibus in uarias scindit bifida agmina partes.
 Tum fera bacchatur, stimulis agitata superbis:
 Intumuitq; furens in tanto turbine rerum
 Christiadūm, credens pia castra dedisse ruinam,
 Gestijt ergo uiam reliquis ad bella patere
 Perficienda feris latam, quòd rupta uideret
 Agmina, uipereororanti falce ueneno.
 Falleris: horrendus quantumuis ingruat Auster
 Christigenæ nauis, cæcisq; impulsæ per æquor
 Flatibus in syrtes abeat, rursumq; rotetur
 In scyllam, tanget portus illæsa recessum.

Signifer ut uidit disruptas esse cohortes,
 Nec sentire idem, grauius commotus, & ira
 Accensus iusta, fissum sic fatur ad agmen.

Heu malè sana cohors, atro quid mergeris orco?
 Cur nam rumpuntur studia in contraria mentes?
 Scilicet ut ruptos citius deuincere monstra
 Squalida sustineant? uni date colla capistro,
 Mutuus ut pestes ardor deuincat auerni.

Vos,

Paulus
 contra
 Heresi.

10

I O A N . B R E I D B A C H .

Vos, quibus Eumenidum nocuerunt tincta cruore
 Tela nihil, durate, sues uincetis Auernas.
 Vos uero amentes, quorū horrida flamma medullas
 Hausit, & ignito confodit uiscera morsu,
 Quæ (quæso) quæ tanta animos uesania pressit,
 Ut septi tenebris, & uitæ luce relicta
 Sit uisum portenta sequi, fecesq; Baratri?
 Soluitis heu fidei sanctissima foedera pactæ?
 Cum sacra abluerent peccati flumina sordes,
 Vos ne dedisse duci nomen, sacrataq; inisse
 Foedera, nubiferas effluxit prorsus in auras?
 Quo mala tempestas laniavit turbine mentes?
 In portenta Erebi coniunctis uiribus ite.

Hæc ubi fatus erat, gliscit uolentia monstro,
 Accensusq; furor per uiscera pascitur atro
 Sulphure: conflatus saeuos dolor aggerat æstus.
 Turgescit, furit, immugit, fremit, æstuat, horret
 Tela parum potuisse uidens, quibus obruit agmen.
 Fallere se cunctos sperauit posse ueneno:
 Sed plures pauli tenebris exemit Auernis
 Sermo: nec hos Furia potuerunt tela ferire.
 Ergo Dracone furens immani castra relinquit,
 Fulminat, & quassat cristas, oculisq; minatur
 Exitium: tantis fera fluctuat ira procellis.
 Fucatam accersit furibundo e carcere vulpem,
 Ad quam stentoreis ita uocibus intonat ardens:
 Eida comes sceleri uelamen Hypocrisis addens,

MILITIA CHRISTI.

Huc ades, hoc agmen præsens ultricibus hauri
 Faucibus, intorquens circumlita spicula felle.
 Hic opus insidijs, nec aperto Marte feraris.
 Ferrea telorum seges agmen sternere forti
 Marte nequit: uirus reclusisingere uenis.

Hypocri-
 sis.

Hæc fremit. imperio cito paret Hypocrisis ultro:
 Pellibus incedit uulpinis condita, tardo
 Incessu: fœtor putris imo è pectoris antro
 Funditur: in cordis quia technas mille sepulchro
 Versat, & horrendum uelamine uirus obumbrat.
 Illic mille lupi latrant, sæuiq; leones
 Ore fremunt rabido, & sugunt per mēbra cruorē.
 Sic facinus croceo fallax obnubit amictu,
 Ut noceat, cum non uideatur posse nocere.
 Hei mihi, quas strages occulto felle relectis
 Edidit hæc iaculis: hei quas molitur in horas:
 Heu quantum tacitis serpens uomit abditus herbis
 Fellis: in hyblæo miscetur melle uenenum.
 Adiungit stygij fumoso è carcere regni
 Serpentem sociam uulpino tegmine Fraudem.
 Fida comes, tu ad opem remis luctare ferendam,
 Sic ait, illa dolos tacito sub pectore uoluit,
 Moliturq; pijs pestem subducere terræ:
 Occultum scrobibus puteum fosso æquore uelat
 Vimineis uirgis, occulti uirus hiatus:
 Obducens uiridi latebrofi gurgitis antrum
 Cesspitem: quo citius fossa agmina mersa uoraret.

Faucibus

M

IOAN. BREIDBACH.

Faucibus excipiens, tacitaq; uoraginis ore
 Frendenti: stygiusq; hausta absorberet hiatus:
 Intus latrabant horrenda tonitrua porci.
 Ergo progreditur uultu uersuta decoro:
 Non iras acuit, non saeuis intonat armis:
 Corde premit uirus, tacitis pia castra remordens
 Morsibus, intorquet phalerato spicula fuco
 Oblita, quæ penetrent occulto uiscera dente.
 Nunc faciate auidum scatebris parnassidos undæ,
 Ut strages uulpis uasfræ, technasq; retexam,
 Castalides: occulta terunt uruntq; medullas.
 Suauiloquos fert ore sonos, & dogmata putri
 Inuoluens limo, & falso conspersa liquore
 Tingit uerba Dei: tegit atrum corde uenenum,
 In sensumq; rapit mendaci fauce sinistrum.
 Artificis tanta est pellacia, uis ea fandi.
 Et sub ouis specie uiolenti more leonis
 Fundere oues socias parat, & superare uenenis:
 Ore lupus patulo cordis penetrabilibus hæret,
 Lacteolam mentitus ouem sub uellere molli,
 Cruda per anguineos exercens funera rictus:
 Præcipitare uolens in fossæ furta subactæ.
 Signifer intuitur uillosa pelle leenam,
 Prasentiq; dolis saturatum pectore telum.
 Hinc ait, o dirum Monstrum sordentis Auerni
 I,pete pallentes umbras: posuere sub atra
 Pelle lupi rabidi, immanisq; cubicula Tygris.

MILITIA CHRIST.

Nostra tuos hamos fallaces flumina norunt,
 Cuiuscunq; iacet, socij, mens faucia vulpis
 Vulnere, discutiat subito medicamine uenis.
 Implicat occultis animos sus horrida nodis,
 Implicitosq; trahit secum Plutonis in antrum.
 Decipit incautos, ut fallit aranea muscam,
 Dum tenuem textit thalamū, & latet abdita parua
 In rima fallax, uestitaq; uellere vulpis.
 Si cadat in casses hostis, procurrit anhelō
 Marte fremens, laqueis stridentē inuoluere cautis,
 Stamina conglomerans circum parat, ora cruore
 Inficit, ingluuiem satians feritate lupina.
 Spicula mortifera fugitote madentia tabe:
 Lurida Gorgoneum ne decoquat ossa uenenum.
 Hæc ait. extemplo patuerunt liuida felle
 Tela canis stygia: fugit ocyus ora uirorum
 Sibila, datq; locum christi delusa corona.
 Tum pudor accendit uires, strepit acta furore,
 Exardetq; dolor, latrans uorat ira medullas.
 Ergo flammato sociam petit incita corde:
 Vocibus hanc diris lætos protrudit in hostes.

Idololæ
 bria.

Ecce cruenta uolat ueterum cultura Deorum:
 Effuso pecudum fumantes sanguine fauces
 Exerit, & tabo sordentia guttura uibrat.
 Tempus ferrato phaleratum tegmine cingit,
 Vulnificos metuens aduersi Numinis imbres:
 Cuncta dolis miscet, proprijs neq; nititur armis.

Hinc

Hinc monstrosa lues se in uoces soluit amaras,
Spicula conijciens atro fabricata ueneno:

Vno fonte sitim uisum est restringere siccam?
Quin uarijs queris salientia fluminariis?
Num sedare sitim prius uno flumine possis,
Quam si multiuago manantes agmine riuos
Ore sequens auido, flagrantis gutturis aestus
Extinguas? igitur fide auxiliaribus undis.

Quin deus ipse suos tanto dignatur honore,
Quos secum aetherea uoluit consistere rupe.
Ni uellet, rigidos non possent pelleri morbos:
Sed quantis soluunt morborum liuida uinclis
Corpora? quin lethi multos e fauce reuellunt,
Queis nullas haurire datū est, aut promere uoces
Recludunt clausae proprio spiramina uocis
Marte: quibus stridens consumpto in corpore late
Vlcus hiat, quibus atra fluit per membra soluta
Tabes putri illuies: & quos coquit ignea febris,
Queis nutant, tremuloq; labant in corpore mēbra,
Quos rigor obsedit, quos uersat Erynnis Auerni,
Deniq; languentes omnes medicamine sanant,
Iam licet aërei regnent in culmine cœli.
Ne dubites igitur curuato poplite Diuos
Sollicitare pijs uotis, & cerea dona
Offerre, & uarijs ornare altaria donis.

Talia tela iacit, sed quæ vulcanus in igne
Lethæus cudit stygio, & candentia merfit

MILITIA CHRIST.

Amne stygis: fraterna, phalāx umbone retorquet
 Talia solius fidei, quo suppressit hostem,
 O horrenda pijs nimium uox auribus, ite,
 Ite, malam uenti celeres diffundite uocem,
 Christigenūm spinis ne castas uulneret aures:
 Ut sua flammiferus radiantia lumina Titan
 Sufficit immenso mundo, nec luminis orbis
 Arctior: omnifator sic omnia numine complens
 Christicolas, Diuosq; suos se fundit in omnes.
 Rore suo irrorans, sacro igne calefcere frigans
 Cor facit: accenditq; faces in pectore sacras.
 Hic ille æternus fons est, quo cætera uires
 Haurit turba suas, ut præstet mira colenti.
 Cum uerò sanant simulacra, & saxa colentes,
 Iratus cæcos, taliq; furore iacentes,
 Detinet in carnis labyrintho: se quia spernunt.
 Fons tamen ille unus toto conamine quæri
 Expetit, & socios nullos admittit honoris,
 Horrendum, & dirū hunc æquo spoliare trophæo,
 Surdaq; diuorum contundere pectora uotis:
 Quippe deus solus nobis in uota uocandus:
 Ille necis, uitæq; tenet quia solus habenas,
 Ille est ancipiti nobis in turbine portus,
 Quem subeāt ruptæ post nymbos carbasa puppis.
 Ergo queratur studijs hæc anchora totis.
 Sordecant furie rabiosæ pabula diræ
 Diuitiæ, argentiq; fames quæ nutrit eandem.

Talibus

Talibus Euminidum deflectunt tela sororis:
 Huic uerò furijs ardens exæstuat atro
 Felle dolor: rapit arma manu, et petit auia cursum.
 Christicolæ comi moderantur gaudia uultu.

Iam uero christi lætanti explosa theatro,
 Ad bellum stimulat bacchantem uocibus iram. Ira:
 Fulmineo uolat illa pede, & fera fulgurat armis:
 Vlcisci comitum fremit ardens uulnera ferro,
 Scintillans oculis pestem interitumq; minatur.
 Euocat horrendo mugitu in castra sorores:
 Hæ Phlegeton hæo uolitantes igne peresæ
 Infremuere animis: resonant loca quassa boatus
 Territremo: tantis se molibus ira mouebat
 Cum socijs, quæ tela ferunt, & uincla colubris
 Intertexta, manu, ferrataq; tegmina fronte:
 Flammiuomasq; faces: plaustro stridēte uehuntur.
 Stat sonipes horrens: clangunt hinnitibus auræ.
 Sanguinolenta graui quatiens hastilia ferro
 Bella fremit, tonat arma furens, mortēq; minatur.
 Ardescunt oculi, crepat os, dentesq; fragore
 Strident: & stygijs pectus micat ignibus ustum.

Obstupuere animis gemitūq; dedere cohortes:
 Illa instat, spargens rabiose semina litis:
 Euocat ad pugnam rabidis mugitibus omnes.
 Arma uetat Ratio capere: illa exæstuat amens:
 Et pectus sæuum dolor implacabilis hærrit,
 Et sonipes stetit audaces effusus in iras

MILITIA CHRISTI:

Ira tela.

Se non posse uidens contundere calcibus enses,
 Quos Ratio cudit, quibus istam sternere Lernam
 Conuenit, & cauzum uibrare per ilia ferrum,
 Ferrum, quo undantem spumis furialibus Iram
 Frænat homo: quod cum nõ posset frangere, mugit
 Bellatrix, torquens liuentia spicula tali
 Felle: Quid õ cœci mens ebria nube furoris
 Fœmineos sequeris cœtus? huc dirige gressum:
 Ira ego sum uirtus inflammans quæq; calore
 Magnamino, et laudis resero tibi claustra supremæ.
 Marte mihi subigo quosuis, acuoq; calentes
 Ad uirtutem animos: nostro feruore perusti
 Sternunt Marte duces, decus immortale parantes.
 Agri cæde calent, & inundant sanguine fossæ,
 Quem fudit telum, dextra quod missile libro.
 Effrænes tundo mentes ultricibus armis:
 Me sequere, egregium pariturus laude nitorem
 Virtutis: quoniam belli augustissima uirtus.

Faucibus eructat tumidis hæc tela, ueneno
 Commaculata truci: fidei nisi aheneus umbo
 Sustineat, trucibus configere pectora flammis
 Inciperent: ergo cruce Christi tela retorquent
 Christigenæ, hac ueros carpentes arbore fructus.
 Christus Olympiacæ certissima ianua sedis,
 Irati ut nobis ualuas aperiret olympi
 Instar ouis coram tondente obmutuit ore
 Suppresso: inq; necem reboantia monstra benignè
 Pertulit:

14

Pertulit: at nostrum ferient tua fulmina pectus
 Ira tumens: ut scintillant tibi lumina toruis
 Fulta supercilijs: ut spumant ora: genæq;
 Ut pallēt: ut mēbra tremunt: at uox fremit atrox:
 Heu diram faciem, quæ nos facit esse Barathri
 Monstra: quid? ignescant tali præcordia flamma:
 Cor ustum: fellisq; liquor diffusus amari
 Absit, ne cæco confundat turbine mentem.
 Talibus illudunt iræ mucronibus ictus.

Tum uerò exardet furijs, & flammea cæcos
 Pectora concipiunt accensi sanguinis ignes.
 Acrior ad bellum uolat, & uim suscitatur ira:
 Sanguinis igniti totas effundit habenas:
 Præcipitesq; fremens turmas agit æquore toto:
 Ingeminans ictus horrendis æstuat armis:
 Nec mora, nec requies: quã multa grandine nymbi
 Culminibus crepitant: tam multa obtexitur ater
 Undiq; nube polus iaculorum. his molibus agmen
 Obruere ardet hians: uires funduntur in auras.
 Edocti Ratione, igni nil fomitis addunt,
 Materia ut consumpta suam cum subtrahit escam,
 Concidat, atq; animã tepido cum sanguine fundat.
 Ne magis inflamment incendia pectoris, arma
 Deponunt: iræq; cauent euoluere fumum.
 Sponte sua cadit ignis edax, nisi ligna ministres.
 Ergo ferendo hostem deuincunt fortiter iram:
 Hæc licet horrendis incurrat faucibus, auras
 Verberat,

MILITIA CHRISTI.

Verberat, & uarijs assultibus irrita perstat.
 Sicut, ubi quercum uenti latrantibus alis
 Diruere inter se certant: stridore paludes
 Vicinae exultant, & tellus pondere quassa
 Immugit, sternuntq; solum uiridi agmine frondes:
 Ipsa haeret firma, & caput inter nubila condit:
 Flamina uana comas quassant: mole illa repugnat.
 Non secus assiduis, hinc atq; hinc ictibus agmen
 Tunditur infernae furiae: sed pectore nimbos
 Telorum infracto reuomit, uirusq; retorquet.
 Tunc demum erumpit quae pectus flamma coquebat,
 Mœrorisq; animo fumantes euomit aestus.
 Sicut ubi ære cauo uiuacia sulphura nutrit
 Conclusus magis, atq; magis furit acrior ignis,
 Moliturq; fugam, nec se capit, ære resurgens:
 Fauce sed angusta præclusus rumpere in auras
 Non ulla ratione potest: ni absumpserit omnem
 Materiam: tunc rupta uolat glans ænea fumo:
 Quassa boat tellus: mugire tonitrua credas:
 Tales effudit gemibundo pectore flammæ.
 Ignibus at tandem tantis exaruit uisæ.
 Plausibus incendunt cœlum, fremituq; secundo.

Vltio.

Ast ubi conspexit dominam cecidisse cruento
 Marte caput uibrans infrenduit Vltio dente,
 Et spumans fertur tonitru reboante per agmen:
 Urget eam stimulis uindictæ dira libido.
 Ergo tonat tali iaculo, torquetq; per hostes:

Vnius

Vnius uobis sub nutu degitur ætas,
 Quem tamen illuuiæ sequitur teterrima plebis,
 Semiuiui cœtus, & quorum nubila corda?
 Discite nostra sequi magno molimine castra.
 Illa ego sum, cuius iaculis iniura fossa
 Concidit, & uitam moriens exhalat in auras.
 Igne meo flagrans pater altitonantis Olympi,
 Supplicio fontes punit, tumidosq; repellit.
 Me sine præsentis uersantes gurgitis antro,
 In quodcunq; nefas ruerent, nisi frena tenerem.

Talibus aggreditur iaculis pia castra: sed umbo
 Excipit hæc fidei: nodosaq; robora Christi
 Pro iaculis stringunt monstrosæ uiscera pestis.
 Christus in hostiles etiam nil tale cohortes
 Molitus, quæ se trabis affixere cruentis
 Molibus, & ferri foderunt pectora morsu.
 Ille oculos flexit iam dura in morte natantes
 Ad sæuos hostes, miserans clementius æquo:
 Cum caput horrenda croceum ferrugine Titan
 Occulit: in lacrymasq; solus se soluit amaras,
 Crimina detestans signis feritatis iniquæ:
 Infando trunco pendens hoc crimen inultum
 Liquit, & orauit ueniam. Patremq; rogauit,
 Parceret ignaris rerum, cœcisq; furore.
 Ergone nostra tuo crudescunt pectora fuco?
 In pœnam rumpit, nec habet uindicta regressum:
 Vindictæ sitiens curarum tunditur undis,

Et cœca

MILITIA CHRISTI

Et cæco stygij consumitur igne furoris.
 Quin sibi uindictam soli quoq; uendicat auctor
 Multiuijꝫ; maris, terræq; poliꝫ; micantis.
 Crimina profuso quorum ultrò sanguine Christus
 Abluit, hi debent alijsignoscere nœuos
 Errorum: quoniam peccati fasce grauatis
 Hostibus ignouit culparum millia nobis. (fundo.
 Vltio abi, & stygio procul hinc te absconde pro:
 Tali reflectunt stridentia spicula scuto.
 Tunc furijs agitata crepat, cuneumq; relinquit.

Temeritas.

Hoc uidet horribili temeraria Bellua uultu,
 Et uolat alarum per apertos remige campos.
 Horrendum stridens nigranti prata cohorte,
 Quassat, & ingenti mouet internodia ductu.
 Irruit in pugnam, & ferro retinacula rumpit,
 Omnia, spumanti mentis stimulata calore.
 Instar apri, quando latranti concitus ore
 Impulsusq; canum flammantes induit iras:
 Dentibus infrendens densata per agmina fertur,
 Perq; canum rictus, & tela uolantia cursu
 Urget hians, perq; ipsa ruit uenabula stridens:
 Sanguineum rorem acceptum seua ira resorbet.
 Tali terribilis fera turbine rumpit in hostes
 Per ferrum, perq; arma uolans, nec uulnera curans,
 Verberat alarū nigrantia brachia passu. (stris
 Christicolūm quatit ossa tremor: furor iraq; mona
 Præcipitant, & laudis amor temerarius urget:

Talibus

Talibus ergo ferit iaculis pia castra tumescens.

Huc ades, ô miles, uestigia nostra sequendo
Obserues: ego Christigenis ero regia uirtus.

Me sine martis opus friget, cadit ardor hebetq;

Militia: nam rumpo moras uirtute secunda:

Aggredior pugnas alacris: nec tela, nec hostes

Horresco, nec torpor iners effœminat artus.

Languor abest, Erebi qui sordidus enatat undis,

Sensibus obtexens nebulas: huc flectito gressum,

Quisquis amas ueræ loca peruia laudis inire.

Quodquod opus perago feruentibus incita uenis:

Nec dubito ueri conscendere culmen honoris.

Illam uenenosæ spargebat semina flammæ,

Quæ Ratio fulgens armis reflectit in ipsam.

Heu male suada lues, in aperta pericula trudens

Pectora, quid cœno sensus immergis Auerno?

O furor, ô rabies, ô laudis cœca uorago,

O scelerum gurgēs, quid mole sepulta furoris

Ardenti raperis per aperta pericula cursu?

Ianua tun' ueræ laudis? tun' compita sternis

Ad uirtutis iter? quosuis Acherontis ad undas

Præcipitas, uolucrisq; rapis per deuia cursu.

Tu nutrix scelerum, & cunctorum lerna malorū.

Hanc, socij, pestem studio fugiatis anhelō.

Subdite colla meis loris, superabitis hostem,

Ne tenebris mentem scelerum perfundat opacis.

Illam iacit Ratio: quibus obruta Bestia cedit.

Imperio

MILITIA CHRIST.

Imperio leti parent, nutumq; sequuntur
Regis, & infernam delent e pectore fecem.

Ergo petens sociam tales gemibunda querelas
Fudit, & ingemuit latrans. Prò Iuppiter ibo?
Non arma expediam, & latebrosa pericula belli
Experiar rursus? non uulgi dentibus ossa
Fœminei absumam? repetam delusa Baratrum?
Hei mihi: tu tamen una potes Discordia ferre
Auxilium: cœcumq; per agmina fundere uirus.
Tu sere fallaci discordia semina fuco.
Et quos unimodis compagibus alligat unus
Spiritus, horum arcto disrumpas uincula rostro,
In studia ut Christi scindantur dissona serui:
Sic melius bello segnes superabimus hostes.
Ibis? quid dubitas? tu turbata arripe castra:
Interea socijs etiam calcaria subdam:
Arma armis tundant: nunquam uincemur inultæ.
Hæc gemit: illa ruit spumanti uecta leone,
Hoc rapitur: subitūq; globū fert campus in atras
Fumidus: hîc cernunt tenebras insurgere campo,
Et piceam nigro glomerari puluere nubem
Christigenæ: rauco clangit mattheus in ære,
Quis globus, ô comites, caligine uoluitur atra?
Hostis adest, frendetq; truci Discordia fauce.
Vna præstiterit multum compage teneri,
Ocyus unanimes tentoria tuta subite:
Nam si uos uacuo comprehenderit æquore pestis,
Dispargit

Discor=
dia.

Dissarquet, ceditq; illi uictoria tandem.
 Hec resonans tuto se condidit aggere primus.
 Idem alios simul ardor habet, rapiuntq; ruuntq;
 Aequora deseruere: furens se bestia campo
 Infert: hinc comites ululant, fremituq; sequuntur
 Horrisono: Fratrum miratur inertia corda,
 Non aequo dare se campo, non obuia ferre
 Arma uiros: sed castra fouere. huc turbida fertur
 Atq; illuc spumans, aditumq; per auia quærit.
 Et ueluti clauso lupo insidiatus ouili
 Cum tonat ad caulas, mordacis frigora brumæ
 Perpeffus noctu: læti sub matribus agni
 Balatum ingeminant: ille asper, & horridus ira
 Sæuit in absentes rabie compulsus edendi.
 Haud aliter monstro pia circum castra frementi
 Flammeffunt iræ, & sæuis dolor ossibus ardet.
 Qua tentet ratione aditus, & quæ uia clausos
 Excutiat castris Fratres, & fundat in æquor:
 Ultro animos effert dictis, atq; increpat ultro:
 Pro pudor: ô pigri quin pulchra capeffitis arma?
 Arma uiri capite arma uiri, et uos credite pugna:
 Alter in alterius conuertat uiscera ferrum.
 Nam quæ segnities armorum negligit usum?
 Corda soporiferus ne mergat flumine lethes
 Somnus, in æternam consurgant prælia pugnam.
 Hæc fremit, at tali perstringunt improba ferro
 Gutturæ Christicolæ. fatalis vipera sensus

G Pacificæ

MILITIA CHRIST.

Pacificos turbas? concordi pacifer Heros
 Pectora Christi adum uinclo uult esse ligata?
 Hunc adamantinum nodum tua fibra secabit?
 Pace sacra superæ nulla hostia dulcior arcis
 Reftori: tali mirè oblectatur odore.
 Fumida nequaquam multis altaria donis
 Si cupias cumulare probet, si turbida fratrem
 Mens iracundi sub pectoris oderit antro.
 Per te immaturum mortis penetramus in antrum.
 Quot riuos tua sica uomit per prata cruoris?
 In phlegethontæum noctis detrudere fundum.
 Te uoluant Orci uada flamma, teq; reuoluant.
 Sulphureusq; rotet per stagna crepantia torrens.
 Ense hoc præcludunt linguam patulo ore trifulcã.

Superbia.

Plura locuturum rabies deterruit Orci,
 Alarum accurrens stridente Superbia passu:
 Efflatur, sociasq; alto supereminet ore.
 Omnia Plutonis quæ crimina trudit ab oris,
 Immittens terris nigra stipante caterua.
 Huius ab extento se fundit anhelitus ore
 Putris, & ardenti uirosus depluit humor
 Fauce: uenenoso fumant rabida ora uapore.
 Sublimem efflato circumfert tegmine frontem,
 Accumulatq; caput turritum crine nitenti:
 Frontis apex stolido turgens diademate feruet.
 Leuida uipereo flammescunt lumina rore:
 Brachia contorto uibrat seridentia motu,

Incertos

IOAN. BREIDBACH.

Incertos figens titubanti poplite gressus.
 Rodere dente fremit quos uexit ad æthera uirtus.
 Tali procedit fulgens Regina nitore,
 More ferocis equi, qui campum calce fatigat
 Quadrupedante, caputq; ostentans arduus altum
 Nunc huc, nunc illuc raros in puluere gressus
 Elata glomerat ceruice, & terga superbus
 Huc obuertit, & huc, pressisq; tumescit habenis
 Et tumidos imitans piperatis naribus Euros,
 Hinnit ouans, & lora ferox spumantia mandit.
 Ergo mouens lento incessu uestigia, frendet,
 Elatoq; rotat feruentia gutture secum
 Verba procax: ô ridiculum, ueh uulgus inerme,
 Quã pudet hoc contrà stare, atq; laceffere frigēs
 Martis opus? belli uirtus tepesacta calore
 Fœmineos animos ad prælia suscitât ere?
 Et tamen expectant algenti pectore nostras
 Telorum nubes? non uertunt languida terga?
 En, qui nostra suis confringent spicula dextris,
 En, qui sceptrâ petunt, en qui me Marte fatigant.
 Semiuirum inficiam frigenti sanguine ferrum?
 Ah pudet: ast illi feruentia corda laceffunt.
 Faxo ego sub plantis stipularum more rotentur?
 Exuperans cautis uerbis, blandoq; ueneno.
 Hæc uomit, & rabidis profert uestigia plantis,
 Castra petens telis phalerato talibus ore.
 Imbelles animi, quin noster corda perurit

MILITIA CHRISTI.

Virtutis calor, inflammans ad martis anhelu
 Prælia? quid torpor lentos obnubilat artus?
 Quin nostros ualidi flagrantes pectoris ignes
 Induitis, quæ sum uirtus pulchrerrima rerum?
 Hæc iacit: at tali charissima pignora Christi
 Illudunt iaculo fibras: ô sordida sedis
 Lethææ scabies, ô fex teterrima, spumis
 Edita lernæi monstri, quid diffuis æstu
 Cæca cupidineo? uitiorum es foeda cloaca.
 Ut sordes? uento ut pectus turgescit inani?
 Quære tuas stygio putres squalore paludes.
 His obuolue caput, ne nos foedissima uentris
 Proluuias maculet tua, nec cœno oblinat atro.
 Tu scelerum torrens, tu tempestatis origo,
 Quæ primum patrem felicibus expulit aruis,
 Nosq; sub immanis proiecit limina mortis,
 Et Scyllæ in rabiem, Syrtasq; rotauit in omnes,
 Hinc sæuis miseri mœrorum mergimur undis.
 Tolle supercilium, turritam deprime frontem.
 Alta cadunt, tumefacta crepant, inflata premuntur.
 Non secus ac fluctus turgens cum surgit in auras
 Eructantis aquæ, mox presso uertice frontis
 Sternitur, ac inter deiectas labitur undas.
 Hoc docet horrenda truculentus mole Goliath,
 Dum feruet, dum turgescit, dum territat armis
 Aëra, dum plantæ tellurem pondere quassat,
 Dum spumat labris frendens, dum surgit in enses
 Feruidus,

Feruidus, inualidi cecidit stridore lapilli:
 Hoc habet, & tepidos eructat sanguinis imbres,
 Fumantemq; uomit uitam fremibundus in auras.
 Insuper undanti late omnia sanguine sudant,
 Quem tua recluso profudit pectore fibra.
 Regna labant, oraq; cadunt, quas diruit ignis
 Ille tuus, summas imis qui e sedibus urbes
 Exiit: igne tuo Romana Palatia diræ
 Succubere neci, multos dominata per annos.
 Herodesq; tua quondam Rex impius actus
 Sulphurea face, contempsit cœnabula Christi:
 Et tepido matrum gremio lactentia uulsi
 Pignora: sanguineum riuū madida arma biberunt.
 Te Deus altitonans conamine respuit omni,
 Ventosos utres tundit: quot depulit arce
 Aligeros fratres supera? quod corda tumebant
 Inflammata tuis facibus, stolidoq; furore.
 Belua sordescens te Tartarus hauriat ater.
 Hæc uibrant, tunc fallaci suffusa rubore,
 Auolat, at læto uictricia pectora palpant
 Maxima Christi adūm medicamine gaudia ouantū.

Hoc uidet ambitio, laudisq; immensa uorago, Ambitio
 Elatisq; uolat per deuia compita plumis:
 Turget hians, fuluoq; comas leuis implicat auro:
 Et laudis fumo, & turgenti pascitur aura.
 Inflatu ut uento folles, ita feruet inani
 Gloriola: subitoq; petit densa agmina cursu,

MILITIA CHRISTI.

Et telam aduersos stridens iaculatur in hostes.
 Cur nequeunt dulci laudis recalescere flatu
 Corda? quid eximie uirtutis culmina segnes
 Spernitis? in luxus liquidum, & languore solutum
 Pectus abit? teneat regnandi corda Voluptas.
 Illa ego, quæ Reges pulsos in regna repono.
 Me duce flore comas poterit decorare uirenti,
 Qui mea flagranti studio præcepta secutus
 Veræ laudi inhiat, dulcesq; requirit honores.
 Laude uiget summa, & curis mordetur honestis.
 Tale iacit telum regni tumefacta libido,
 Quæ Christi tali excipiunt umbone phalanges.
 Gurges adubræ laudis, quem faucibus ater
 Iuppiter euomuit tumidis, pete regna trifauci
 Quæ quatit ore Canis: cur tetra uenena medullis
 Ingeris, & tentas à cardine uellere mentem.
 Dum studet efflatus phaëton Titanea fræna
 Ducere, stagna padi tergo reuolutus equorum
 Pressit, & æquorea uitam profudit in undas.
 Sponte sua uirtus petitur, non propter honorem.
 Christus Apostolici prima de sede Senatus
 Certantis uanos discussit pectore uentos:
 In medium statuens puerum, cui mollibus annis
 Laudis adhuc erat, & tumidi mens nescia status.
 Nulli fas, dixit, sedi aspirare beatæ,
 Ni prius exuerit famæ deiectus amorem,
 Ut puer hic nullum suspirat pectore fastum.

Helluo

Helluo laudis abi, nunquam face nostra rubebunt
Corda tua: per te tot surgunt bella per orbem.

Hæc iaciunt Christi gentes in pectus Auernum.

Vipera tum nullo transuerberat ilia morsu:

Sed pudefacta petit socias, quas urget in hostes.

Eumenidum nitido uultu regina Voluptas

Voluptas.

Incedit campo furiarum millibus aucta:

Hei quot castra uomens tellus effudit in æquor?

Luxuriam mollem, cui sordens iuncta rubescit

Ebrietas, dextrumq; latus cinxere corona:

Claudit enim uultu pallente Libido sinistrum.

Nugatrix acies, locus & Petulantia pulsant

Tympana: dulcisono resonat caua fistula flatu.

Nunc ô Christicolæ, nunc, nunc insurgite in enses.

Nunc effundantur uires, nunc promite corda

Fortia, quò ualidis sternantur uiribus hostes.

In medio procedit, & alto uertice supra

Emicat ipsa nitens, ostroq; superba Voluptas.

Sub cute sordescit, cordisq; cadauer in antro

Putret, & exhalant foetores ore trilingui.

Hæc ne cernantur, fallaci condit amictu.

Iamq; ad Luxuriam languenti uoce profatur.

Fida comes, dominæ paulisper munus inibis.

Non armis, sed fraude Dei superabis amicos,

Languida subiiciens ita nostro colla capistro,

Vt mea perpetuo uestigia Marte sequantur.

Sit comes Ebrietas, & pectora soluat Iaccho,

MILITIA CHRISTI

Et faciat curas omnes immergere uino,
 Prouoluensq; luto, in coenum limumq; resoluat.

Luxuria

Dixit: at illa comis auratos aptat honores,
 Fulgida: quin flauo nitidum bulla aurea pectus
 Applausu lambit: perstringit eburnea uestem
 Fibula coccineam: subnectit lacteus armos
 Circulus: ut niueis miscentur lilia labris
 Ore rosis croceo, sic hæc uariarat honores
 Corporis: albenti succos sub cortice claudit
 Lerneos, cæco quò plures implicet hamo,
 Ipsa redimitos olea uernante capillos
 Ostentans, sacræ præ tendit uincula pacis.
 O pacem rabie tinctam: tu insignia pacis
 Præ tendis, cum cauta ululent sub pelle relecti
 Mille lupi? pacis titulo quot corpora passum
 Fundis, agens telis rabiosa tabe recoctis?

Iamq; ita procedens non ullis dimicat armis:
 Lacteos fallax stupefacta per agmina flores
 Projicit, aut pomo rubicundo corda laceßit:
 Siue ioco, risu, nutu, uultuue decoro,
 Fortia quæ penetrent compagibus æra reclusis,
 Pilaq; multiplici chalybis uelamine tecta:
 Ni facili Regis recti Rationis habena,
 Cauta effugissent missum ratione uenenum:
 Nam Ratio instaurat dictis mordacibus alas,
 Lactea luteolis deuincunt lilia fertis,
 Et ferrugineo frondentes flore coronæ

Belligeræ

IOAN. BRIDBACH.

Belligeros? quid Luxuriæ submittere fertis
 Colla iuuat? quid gignat ager sardous amaris
 Fructibus, urticaeque genus mordentis acerbo
 Dente, & quam tristes iactis de floribus herba
 Luxuriæ surgant, animis attendite cæci.
 Nexibus his uultis sacras innectere mentes,
 Quos lethi horrêdo sapor ultimus asperat haustus
 Ornati tunica sacra, quam pollice docto
 Nexuit alma fides, dans non penetrabile tegmen
 Pectoribus totis, subietis sordida fœdæ
 Claustra voluptatis? cum pendens Christus atroci
 Robore iam moriens sit tetro felle refectus,
 Ventosum ne placet dapibus distendere uentrem?
 Excidit ergo animis domino seruum esse minorem?
 Heu quantum stragis stolidis mortalibus adfert
 Luxuries? hamis nam dulces inserit escas,
 Infectas tamen horribili squalore ueneni.
 His capit insulsos, ut fallit arundine pisces
 Piscator dum fila iacit dape perlita dulci
 In uitreas undas, fœcundaque piscibus arua:
 Illi concurrunt celeres, hamataque fila
 Ore uorant, sed mox herent, captique sequuntur.
 Insuper implicitos in liuida stagna lutosi
 Gurgitis immergit: fiunt porci que lupique.
 Ergo pati uultis portenti iura fluentis?
 O lutulenta lues, quid nostra laceßis amaro
 Castra fauo? quin Tartarei subis antra meatus?

MILITIA CHRIST.

Per te sulphureis arserunt ignibus urbes
Quinq; lacus nunc est, ubi tunc habitare solebat
Maxima pars hominum: nūc illic æquora lentus
Vestit pigra liquor, qui fœda cadauera sorbet,
Viua uehit tergo, sceleris monumenta nefandi.
Tale iacit telum, soluens spiramina faucis.
Dentibus introrsum resolutis palpitat atro
Lingua refusa mero, & iugulū stridoribus horret.
Insolitis dapibus guttur crudefcit, & ossa
Colliquefacta rotat, reuomēs quas hauserat offas.
Precipitem celerat gelida formidine fusa
Per prærupta fugam, & castris delusa recedit.

Ebrietas.

Astitit ebrietas profuso uentre, genisq;
Efflatis, ructans fumantem marcida cœnam:
Nam fortasse iacens ad spumea pocula, raucos
Audierat lituos, atq; inde madentia linguens
Fercula, Luxuriæ comitem se iunxerat ultro.
Pingue caput nutat, rubicundaq; labra tremiscunt,
Surgit, & extensum tollit cutis uuida pectus,
Spumantesq; putri nares perfundit odore.
Membra mero resoluta tremūt, uapor humidus ore
Euaditur: & dubios lapsanti poplite gressus
Figit, hiant madida ora, rubent fuligine dentes.
Tantum hæc ingluuies uini demergit in aluum.
Dentibus ossa terens uasto Polyphemus in antro
Vt uentrem efflabat, dapibus sic explicat aluum.
Sudor, & undantes manant per tempora rores.

Turba

Turba canum sequitur, quorū cutis hirta putrent
 Fluxerat in scabiem: sanieq; fluentia linguis
 Ulcera mulcebant, crebroq; tepentia morsu
 Lambebant terga, & scabras prurigine clunes:
 Scilicet exanguis & orpor, Somnusq;, Soporq;
 Ignipotensq; Venus, furor, & furialis Erynnis.
 His turmis instructa canum titubabat hiulco
 Ebrietas gressu, cænoq; aspersa natabant
 Lumina: tum cyathos stillantes munere Bacchi
 Fūdit in aduersos tremulis rugosa lacertis.

Hanc ô Iuliaci pater illustrissime regni,
 Hanc doceas vitare lucem: te uiuida cantat
 Fama meri nunquam tantum sumpsisse, furentis
 Ebrij ut affectum possis didicisse bibendo.
 O stabilem mentem, quam nunquam dulce uenenū
 Expugnare meri potuit: sic ebria Bacchi
 Spernere tela potes, pater inuictissime solus
 Si Reges alij contra huius spicula scutum
 Tam firmum possent fabricari, sanguinis enses
 Haud tantum haurirent, sed pax sacrata uigeret,
 Quæ caput his oris, Duce te, iam uexit ad astra.

Hoc igitur doceas monstrum superare megeræ. *Illustriss.*

Ebrietas animi lethum: uitate pudendam *principis*

Hanc pestem, fumos cerebro quæ offundit opacos: *oratio.*

Occluditq; uias, per quas è pectoris orbe

Spiritus in capitis curuas sese inserit ædes.

Verticis hinc nebula summam uoluuntur in arcē:

Pugnās

MILITIA CHRIST.

Pugnatur: ualidis summi mens incola tecti
 Defensura suum limen circundatur armis.
 Eluctata diu bacchantem extrudere flammam
 Victa fugit: uictor capitis tentoria Bacchus
 Occupat: it Somnus comes, & pharetrata Libido
 Humentesq; sinus cerebri, mentisq; sacellum
 Perfundunt lethes, hausto de flumine somni,
 Rore soporiferæ: tunc laxis corpora frenis
 Bacchantur, furiunt, animosq; in iurgia soluunt.
 O fœda ebrietas, ut mentis lumen inumbras?
 Ut porcos, ursos tua sordida munera reddunt?
 Horresco referens, ut putridus ebrius ora
 Distorquet spumans? quæ belua uilior illo?
 Nescio qua ratione tremit, balbutit, & escas
 Euomit impurus, ueh putrens munus Iacchi.
 Non Deus es, sed cerbereis è faucibus exis.
 Eheu flenda cohors, quæ liuida uina ueneno
 Hauris, ut ingenium uini sub mole sepultum
 Languet, atq; datum rodat rubigo talentum.
 Immo etiam mortem acceleres: nam spicula Bacchi
 Confodiunt plures, quàm feruida prælia Martis.
 Hos negat aërei consortes Paulus Olympi,
 Feruida pampinei qui Bacchi dona sequuntur.
 Ite ad feruentes epulas, ubi cantarus ater
 Dissipuit effusi flagrantia dona falerni,
 Sic Acherontæos subietis tramite recto
 Fontes, in gluuiemq; sitis sedabitis illic:

Hic

Hic sitis arentes torrebit fumida fauces.
 Heu fumosa lues, quid nos indagine cingis.
 Hoc nemore insidijs nullos uenaberis apros.
 Quin ego. terga fugæ mandas? hæc tela tremiscis?
 Astitit arcitenens Deus, & lutulenta Libido: **Libido.**
 Defensura suas manet imperterrita partes.
 Huic lepor in molli radiat meretriceus ore.
 Arte gradum torquet, uaga lumina temperat arte:
 Fex fœda interius: ligat auro frontis honorem.
 Purpureisq; nitens meretrix effulget in armis:
 Retia sunt uultus: fraudiq; accommodat ora,
 Ora uagos agili motus imitantia casu.
 Ora lauat, pingit, striat, ungit, deglabrat, ornat.
 Consilio speculi gerit omnia: clune superba
 Incedit tremulo uibrans sua brachia motu:
 Est uisu basiliscus atrox, & uiscus amanti:
 Pectus hiat nudum. deducit in ubera uallem
 Rimula, quo stygiæ morsu præcordia flammæ,
 Lasciuo lambant: sed mox cæco igne soluta
 Consumant, urant, mergantq; sub antra furoris.
 Adduntur sociæ, blando Lasciuia uultu,
 Scommata, lasciuiaq; Sales, Petulantia, Risus.
 Hæ terrere parant languentia pectora uulpes
 Igne cupidineo, placidisq; exurere flammis.
 Ipsa Libido canes oris præcedit honore,
 Et fraterna parat cauto metere agmina ferro:
 Aggreditur uultu pugnans, & sulphure pinunt

Nigras

MILITIA CHRISTI.

Nigrantem tetro in faciem, flammisq; uoraces
Ingerit, & Veneris tentat suffundere fumo
Lumina Christigenum. Paulus sed flammea diræ
Tela lupæ, & rores cœnoso sanguine cretos
Continuo tali auertens umbone, profatur.

Mortiferas (eheu) moliris spargere flammis
Ebria saltatrix, cordisq; uapore furenti
Inficere ablutum scabrosa sorde nitorem,
Aeterna Christo splendens ut luce nitescat?
Vrere cur facibus tentas, quibus intima casti
Vena animi Christi tantum de lampade feruet?
Ipse Deus certo Rationis pectora freno
Inflexi uoluit, venerisq; arcere furorem:
Instituens, ne quis sociali adamante pudoris
Annectat plures socias, quàm (ut conuenit) unam.
Hos rumpit cæcæ veneris fax ignea nodos:
Ac uelut unda furens, quam lenis concitat amnis,
Si solitos arcto frenaueris obijce cursus,
Circum claustra fremens furit, & spumantia terga
Euehit: & uallem surgente reuellere tentat
Mole, citumq; trahit rupto tandē aggere cursum:
Agmine feruct ouans, notisq; dat oscula ripis.
Sic male suada Venus scindit retinacula flammis
Omnia, pernicemq; rapit per deuia gressum:
Hinc procul ite, Canem furibundā arcete catenis:
Et frenate uagos rabiosi pectoris æstus:
Sic statuente Deo. veneris ne deuoret ignis

Ossa, sues homines lutulentas efficit ille,
 Quos Deus ipse suo sacro sanguine lauit.
 Dico ego: sydereis non associabitur oris,
 Cuius putret iners rabidi face pectus amoris
 Perpetua: cæcus nec habet furor ille regressum.
 Vah pete cænosas Erebi male sana paludes:
 Iurgia desistas accendere tanta Libido.
 Illa petit gressu tetrum titubante Baratrum:
 Abstergit fucos, & tempora fronde uirenti,
 Et fertis spoliat: nigrescit pallida, putret
 Sordida: namq; aloën sub melle retexerat atrox.
 Nunc squalet, nunc horret hiantia guttura pandens,
 Hoc meretrix sordens tremefecit Tartara uultu.
 Omnia concursu feruent fulgentibus ardent
 Prata armis: stygijs spes est accensa figuris.
 Prorumpunt, sæuitq; canum latratus in auras.

Pallidus ex orco nebulae globus exit opacæ,
 Scilicet inuidia & pigre ue stigia profert.
 Squalor arat corpus: macies, & pallor in ore
 Corroduntq; genas, dentesq; & luminis orbes
 Euertunt toruos: acies obliqua, minaxq;
 Rubigo dentes uitiat: suffusa ueneno
 Lingua: uiret pectus basilisci bile grauatum:
 Contortus uultus: torpent naresq; genaeq;
 Vipereis fruitur dapibus, Larnæq; cruore:
 Cerbereos sorbet succos, spumasq; relingit.
 Ingreditur baculo, quem spinea uincula cingunt.

Inuidia.

Tabe

MILITIA CHRIST.

Tabe uenenata uernantes proterit agros:
Exuritq; herbas, & summa papauera tetro
Polluit afflatu: nam rores nare cruentos
Fundit, & hydræum suspirat pectore uirus.
Defixis inhiant obtutibus excita castra,
Et monstri horrendi nigrantia guttura, uultus
Obtusos, nares uncas, maciemq; genarum
Mirantur: nigroq; uident liuore perusta
Pectora: procedit tandem fatalis ad agmen
Belua: letanti fraterna ob multa cohorte
Ingemit, & cordis suspiria dira cloacis
Ducit paulatimq; manu ferrugine tincta
Tangere, & hamatis præcordia sentibus ardet
Suffocare: nocens uirus, piceumq; per ossa
Inspirare parat medio pulmone uenenum.

Sed paulus tali iaculo squalentia tundit
Tela fera. Quid liuor edax hac dentibus ora
Percutis insontes: socij fugitote lutosam
Barbariem: nec uos fratris fortuna secunda
Mordeat alterius: stillantia lumina fletu
Fratris, in undantes soluant ora humida rores:
Exultentq; animi, cum gaudia pectora mulcent
Alterius: ne liuoris lacerare medullas
Ignis tabe queat, pestem delete uoracem
Ex animis: macrescit enim, & consumitur aeger
Inuidus, & proprio tabescens igne liquefcit:
Soluatur ut glacies urenti saucia sole.

Alteris

Alteriusq; bonis, exhaustis uritur amens
 Ossibus: haud aliter, quam cum supponitur herbis
 Spinosis ignis: quæ non dant uertice flammæ:
 Sed fumo torpent, tacitoq; uapore cremantur.
 Consumptisq; cadunt uenis, ut carbo rubenti
 Ore fugans noctem, in cineres diffunditur igne
 Deficiente: feros ne figat Vipera dentes
 Propulsate pijs uno certamine castris.
 omnia depascit Liuor, morsuq; lacescit:
 Et quod agit uulnus nullo medicabile languet
 Gramine: thessalicis non lectæ in montibus herbæ
 Sufficiant, doctiue senis sacra pharmaca coi.
 Quot summa Liuor detrusit honoris ab arce,
 Qui didicere soli suspendere uomere terga,
 Ponere uirgineo decorata rosaria uultu,
 Semina fundere agris fossis; ferroq; bicorni
 Pectere luxuriam terræ? quot diruit urbes?
 Viderunt campos fraterna cæde rubentes
 Romulidæ: quin nos etiam felicibus agris
 Detrusit rabies, & nunc certamina gignit.
 Ite procul, qui cœlestem aspiratis ad arcem,
 Ne funestus odor nares Liuoris obumbret.
 Ergo tecta petas atro teterrima tabo
 Liuor, & hoc remoue rabidos ex agmine morsus.
 Tum uero ignescit Furie dolor ossibus hærens:
 Vertitur ad sociam nigrantibus inuida plumis.
 Hanc pugnae feruore ferox inflammat ad arma.

D Arma

MILITIA CHRIST.

Auaritia.

Arma capit furibunda lues, sitis arida numi
 Alterius: fraudisq; potens umbone per hostes
 Tendit: & Eumenides furiae comitantur euntem,
 Usura, & metus, anxietas, periuria, pallor,
 Corruptela, Fames, Dolus, & Commenta, mineq;
 Matris auaritia lactatae felle furenti.
 Effert ipsa caput gremio praecincta rapaci:
 Ardet inexhaustas furtis distendere cistas.
 Quaelibet abradens, auri fragmenta caduci
 Colligit, & spolijs unguet exercet ahenos.
 Hæc acherontæo sata semine, mersit ab amne
 Spinoso, quassatq; faces, centumq; colubris
 Colla ueneniferis torquet: faucesq; cruore
 Humano nunquam poterit saciare cruentas.
 Semper hiat, gestans centum uaga lumina fronte,
 Quæ magis introrsum scrobibus suffossa cauatis
 Late resplendent, setosaq; prominet alti
 Sylua superciliij: macies diffusa per ora est.
 Ramosoq; gerit centena uolumine toruum
 Brachia portentum, quibus omnia radit anhelans.
 Et sordentis olet radiantes nare sagaci
 Argenti cumulos: centum uolat horrida pennis
 Ad spolia, argenti si surgat nuncia fama,
 Ut boreæ per inane rapi cita flamina credas.
 Circum torua uolant alis bacchantibus ora
 Agmina curarum, & pulso per membra sopore
 Corda secant rostri mordacibus excita spinis.

Pugna

IOAN. BREIDBACH.

Pugnatura Doli sub uestibus agmina christi
Aggreditur mendax fallaci compta colore:
Et tegit anguineos pietatis tegmine crines,
Dissimulans nitida rabiem sub pelle latentem
Palla, ut quod rapere est dulci sub nomine iactet,
Si uideat galeam croceis radiare metallis,
Siue nitere auri fulgentia cingula bullis
Appetit, & studio consumitur agra rapinae.
Fulgida procedit tandem, pugnamq; capeßit.
Sordet Christigenis rutilantis rubra monetae
Effigies? an non quod uoluunt secula nostrum est?
Quin conflatis opes? tecto sub paupere uitam
Degitis, & segnis numorum torpor aceruos
Accumulare uetat? nostris qui cingitur armis
Immortale parit decus: huc concurrite leti.
Sic ait: & tenuem signauit sanguine riuum
Lesa cutis fratrum: & dulci rigor aere labascit.
Tinctile uirus inest pilis, uritq; medullas:
Hunc rotat effossis oculis in stagna furoris:
Hunc capit intuitu: rapit hunc fulgore metalli,
Inq; focos cogit. fuluum quibus aestuat austrum.
Terrarum uitium non est uiolentius ullum:
Quicquid gurgitibus sorbens styx abdit auaris,
Huic uni matri scelerum uaga tartara debent.
Hic successus alit sublato uertice monstrum:
Exultat, tumidoq; inflat caua classica flatu.
Forßitan & uictrix strauisset plurima letho

MILITIA CHRIST.

Corpora: ni paulus scutum obiectasset, & atræ
Pestis ab insultu christi texisset alumnos.

Huius praesidio stant tuti, & turbine ab omni
Immunes, certum librant ad tempora telum
Hostis, quod tali munitum tegmine fertur.

Heu fera, quid nostræ defigis in ilia mentis
Rostra? tuo nostrum cor impenetrabile ferro.
Eheu quam trucibus curarum fluctuat undis,
Quem tua flâma coquit? cum nox humentibus alia
Adrepat, gratusq; sopor complectitur artus,
Lethæo fundens medicata papauera rore,
Solvitur in luctus, mœrorum diffluit igne.
Nunc huc, nunc illuc reuoluti corporis ossa,
Sisyphia ut uersata manu ingens saxea moles,
Languescunt: subeunt curæ: quid sole reducto
Efficiat, uoluit, nec non quid luce peracta
Gesserit. En pereunt pecudes, cras pabula quæram.
Heu glaciale gelu sepeliuit prata pruinis,
Contudit ☉ segetem: uæ, gramina torruit æstas:
Labra cadis spumant musto: quod si auferat ullus,
Interij: rupit caulas lupus, abstulit agnos:
His quatitur curis, uentorum ut flatibus æquor:
Et quoties duro furatur membra labori,
Ultrices mordent præcordia languida curæ.
Morsus auaritiæ quàm tristia spicula uibrat?
Ianua auaritia es mortis, genitrixq; malorum:
Plus sitiens semper rimaris naribus aurum,

AUTI

Auri nescit amor ferrum mortemue timere.
 Abde caput: nulli fas alta palatia cœli
 Scandere, quem sentes curarum dente remordent,
 Quas tua fibra parit. Christus sic ipse profatur,
 Ingressurus iter, lateri ne accingito peram,
 Et uictus uanas animo secludito curas.
 Vsq; adeò curas spinosæ prouidus omnes
 Tollit Auaritiæ. Nam quæ tua tanta misella
 Impietas, tabulas pictas ut pronus adores,
 Efficiasq; Deos tibi? diffidemus Olympi
 Rectori, qui pascit aues, pecudesq; ferasq;?
 Semina nulla solo mandant, non uomere findunt
 Tellurem: quin nulla animos edit abdita cura,
 Ornata pilis, & uersicoloribus alis
 Incedunt tamen hæ lætæ per pascua uite,
 Secluduntq; famem: tanto se copia riuo
 Desuper effundit rerum Ducis acta fauore
 Syderei. Tanto nos uis diffidere patri?
 Hic quoq; uestit agros inusso gramine uernos,
 Vultibus appingens rubicundis arua rosarum,
 Arboribusq; comas, alimentaq; larga ministrat.
 Tun' igitur quicquid fuluis effundit arenis
 Pactolus radens (licet ipsum exhausseris Hermum)
 Ardebis maiore siti? tantis ne fluente
 Gurgite diuitijs nunquam faciabis anhelam
 Ore sitim rabido? si non conceditur uti,
 Cur igitur conflas? medijs ut Tantalus undis

MILITIA CHRISTI.

Crescas reflui salientes gurgitis undas
 Ore sequens. cur non coelestia munera curas?
 Cur terræ immersus mundanae somnia uitæ
 Sola sitis? quid moliris præcordia cæci
 Nostra ueneniferis auri pervertere donis?
 Quo piceum Scareoth conuiuam uirus adegit,
 Discipulumq; Dei? stygij pete gurgitis antrum
 Monstrum horrèdum, ingens, ne nares polluat ille
 Fœtor, & atra fames auri nos mergat ad Orcum.
 Tale uolat iaculum præceps, pestemq; biformem
 Transit: at illa furens, & uulneris horrida putri
 Proluue, sanieq; madet: putredo cloaca
 Eruitur cordis: cœlumq; obtexit opaci
 Fœtoris macula, & uicinas inficit auras.

Inde subit sedem fremitu frendente Baratri,
 Horrescens fulmen fraterno ex agmine missum.

Talibus exardet monstribus pia turma subactis
 Letitia, & uiridi frondentia tempora lauro
 Exornat: Christoq; Duci clangente trophœum
 Constituit cythara. Paulusq; hortatur ouantes.
 Maxima res effecta, pavor ne pectora sternat
 Quod superest, hæc sunt spolia, de Rege superbo
 Exuuiæ: ceciditq; Orci monstrosa caterua.
 Nunc iter ad cœlum nobis: non munere nostro,
 Sed summi Genitoris ope, atq; fauore perenni.
 In laudes, gratesq; huius pia pandite uela.
 Huius in auxilio spes omnis fixa recumbat.

Non

Non meritis nostris, sed spe penetramus in arcem
Aetheriam, Christi pretioso sanguine loti.

Aurea sydereo dependens axe catena
Spes est, quam manibus prensantes alta trahuntur

In coeli templa. hac freti modò turbinis æstus
Spernite Tartarei: neq; tali à cardine mentem

Dimoueat fulmem Baratri: nam retia nectit
Altera Dux noctis: nec habent certamina metam.

Arma parate animis, & spe præsumite bellum.

Ne qua mora incautos, ubi primum uellere signa
Annuerit Ratio, & tentoria relinquere, segnes

Impediat, dubiosq; metu sententia tardet.

Sic ait: & socios uigilando uincere noctem

Imperat, & semper cingi fulgentibus armis.

Et iam monstra ruūt sub Aucerni turbida fundū.

Horrissonum gemitum tonsis ad sydera tollunt

Pectoribus: mæstoq; immugit Regia luctu

Inferior: latrantq; Canes, quos gloria Christi

Obliqua inuidia, & stimulis pungebat amaris.

Sæuit corde dolor duro Ductoris opaci:

Dat gemitum, rumpitq; hæc imo pectore uerba.

Infelix bellum, comites, cum gente Deorum,

Inuictisq; uiris gerimus, quos nulla fatigant

Bella, nec infracti possunt absistere ferro:

Nostraq; qua rerum iaceant prostrata ruina,

Cernitis: at non est mihi frigida dextera bello.

Nūc cerè occidimus, sed habet fortuna regressum.

MILITIA CHRISTI.

Ibo animis contra: uento meliore reflabit
 Omnipotens fortuna, meis non inuida rebus:
 Non adeo has exosa manus uictoria spernit.
 Vos etiam Christi stirpem, & genus omne nefandis
 Circumfusum odijs crebro exercete' tumultu:
 Imprecor arma armis contraria, fluctibus undas.
 Euge, bonas reperi socias, quibus ipsa retentem
 Prælia: ferte faces, date spicula, scandite terras.
 Tuq; horrenda tonans stridente tonitrua funda,
 Huc ades, arma cita cape Desperatio dextra.
 Incute terrorem, dubiosq; salutis in umbra
 Nube tenebrarum, captosq; hæc defer in antra.
 Vtere Marte tuo: res in te nostra recumbit.
 Si tua letanti uictoria personet ala
 Tempora, Christicolas gurges sorbebit Auernus.
 Huc phalerata ueni torporis inertia coeno.
 Tu segnes animis Lethes infundito riuos,
 Ut positis armis solum tua munera curent.
 Sic ego cum reliquis sopitum feruidus hostem
 Aggrediar, dum stertit iners, somnoq; fouetur.
 Hæc ait. Aula tremit furiarum ululante tumultu.

Despera
 tio.

Dicta placent: celeri pede Desperatio fertur
 Ad terras, & Languor iners Acherontis ab amne.
 Extemplo concussi animi, turbataq; uulgi
 Pectora, quod tanta se Desperatio mole
 Ferret in aduersos: qua non est tristior oris
 Festis in umbrosis, hoc atro turbine fratres,
 Appetit

Appetit atrum, ingens, & ineluctabile monstrum
 Frigus ei comes est: nigrantes induit alas,
 Obscœnæ uolucris: sese quibus agmina circum
 Fertq; refertq; sonans, & uerberat ictibus ora
 Horrisonis, uincire parans pia frigore corda.
 Diriguere comæ. Paulus titubantia firmat
 Agmina: soliusq; dei munimine fulcit.
 Tunc ualidis Rabies contorquet uiribus hastam,
 Quæ tali stridore pias diuerberat aures.
 Quot mare fluctuago quassatum uoluit arenas
 Flamine: tot scelerum maculastis sordibus ægras
 Mentis, num tali scandetis tramite cælum?
 Sustinet hæc umbo munimine cinctus ahenò.
 Exuperat summi Regis miseratio longè
 Crimina nostra, fluens ex ipsis fontibus alti
 Aetheris. hîc aliud telum maiore coruscat
 Insurgens tonitru. Speratis præmia ueræ
 Iustitiæ iniusti? quæ scutum tale retundit
 Iustitia est hominum, qui fudit sanguinis imbres
 Sacratos hominis causa, mortemq; peremit.
 His aliud nequit. Peccati carcere septi
 Cum petro, Paulouè polum conscendere cœli
 Fiditis? ab stolidæ demens fiducia mentis.
 Hoc sic excipiunt. At cum latrone petemus
 Septa poli, cui Christus agros trabe nexus atrocî
 Pollicitus cœli, scelerum iam fasce grauato.
 Hinc ait, Vnde animo creuit fiducia tanta,

MILITIA CHRISTI.

Quos nunq̄ constat male sano pectore quicquam
 Concepisse boni? quid spes uos pascit inanis?
 Contra illi. Quoniam bonitas immensa Tonantis:
 Et iudex Christus nobis, qui ianua uitæ:
 Hanc ingressuros nunquam Labyrinthus Auerni
 Nubibus inuoluet dubijs, quin astra petamus.
 Talibus oblatrat fera: Sed uos Tartarus atris
 Faucibus absumens uoluet per sulphuris imbres.
 Insurgunt contra. Nostrum caput occupat astra,
 Cuius membra sumus. simul illuc ibimus omnes:
 Immo nunc animis cœli spaciatur in aula.
 Obgannit monstrum. Damnandi iudice iusto,
 Omnia qui iusta librabit crimina lance.
 Insistunt contra. Quid, tu tibi iudicis usum
 Attribues? tu damnatus stygio igne uoraris,
 Non es damnator tenebrarum ductor, & auctor.
 Tunc seuis ululant horrendæ cordibus iræ:
 Efferuet frendens. Væ uobis, millia seuis
 Multa canum facibus circumstant agmina, uestras
 Expectant animas, ut secum in Tartara uectent.
 Subijciunt illi. Spes nostra labasceret ægra,
 Ni noster Ductor superasset morte Baratrum.
 Intumuit latrans. Iniustus Rector Olympi,
 Si malefacta poli possunt acquirere sedem.
 Et uos peccati constrictos uincla ligarunt.
 Talibus uruntur, gemitusq; e pectore rumpunt.
 Tun' iniustitiæ scœdisima belua regem

Arguis

Arguis ætherium iustum, super omnia iustum
 Gratia nos sanat clemens, feruorq; paternus:
 Iustitia damnati omnes: miseratio seruat
 Vile lutum, limoq; inclusos pectoris ignes.
 Infremit. ô cæci cur spes uos irrita lactat?
 Incaluere animi: in uoces funduntur amaras.
 Bestia, non stabit promissis ætheris auctor?
 Num uerax Genitor sua dulcia pignora fallet?
 Portentum stygium miseros spe captat inani:
 Hinc addit. Positi sub mortis arundine dura,
 Quæ relinquenda pijs in mundi dulcibus hortis
 Cernitis: at quæ sit uitæ uentura futuræ
 Conditio, dubium est. Syrtes qui impegit in istas
 Turbo animos? cœli quid uanam queritis arcem?
 Hoc Christi chorus obiectat cum turbine scutum.
 Fluxa sub aspectum recidunt: æterna uidentur
 Lumine solius fidei, quod nubila tranat.
 Instat hians Rabies. Benefactis æthera nudè
 Pectore concipitis? nullus rubor inficit ora?
 Hinc illi. Precibus cœli quassabimus astra,
 Vt Deus abstersam peccati sordibus atri
 Carceris, hanc animam niueo uelamine cingat.
 Urget Auis Baratri. Surda Deus amouet aure
 Vota scelestorum, patiturq; hos ferre repulsam.
 Hæc grex impugnat Christi. Quos calle relicto
 Deteriore genis madidis Metancea reflexit,
 Hos Deus exaudit patula coniunctior aure.

Noster

MILITIA CHRISTI.

Noster amor Christum perfingere spicula mortis
 Morte sua, & condi fecit telluris hiatu.
 Frigus ad hæc Orci. Quia uitæ stamina uestre
 Falce breui rumpet Lachesis, metancea remordet
 Obruta corda prius uitiorum molibus. Eheu,
 Sera uenis metancea comis per colla fluente.
 Vulgus ait Christi. Perfuso frigore mortis
 Latroni non sera fuit, quem uexit ad astra.
 Obijcit his. Latronis erat fiducia certa:
 Vestra labat, dubiaq; pedes iam uersat arena.
 Christigenæ contra. Cumulabimus æthera castis
 Vocibus, ut fidei scintillam inflammet Olympi
 Regnator, ducatq; greges in pascua uitæ.
 Tunc his aggreditur iaculis. Nutritur inani
 Promisso, quicumq; patrem se credit habere
 Clementem, qui se deuinxit carcere mortis,
 Herculeumq; cupit lethi exudare laborem.
 Contrà illi. morbos animi medicamine docto
 Tollit, & exurit ferro immedicabile uulnus.
 Propositum premit illa. Necis cur fecit amaros
 Morsus, quos figit rabioso dente molesta?
 Quanto anima urgentis ui lethi excluditur æstu,
 Vt luctata diu moribundos exuat artus?
 Quas facies moriens, quam squalida conspicit ora?
 Non sunt ista patris, qui mitia pharmaca præbet.
 Obsistunt illi. Torrens æternus inundans
 Ille boni, poteritne suis offerre quod obsit?

CUR

Cur non à domino serui haustum morte liquorem
 Ebiberent mortis? non esset felle recoctus
 Ille sapor, causa quem sorbuit ille salutis?
 Subijcit his. Miserum gelida pallefcere morte.
 Illi. Disrumpi cupimus, Christumq; sitimus
 Visere sydereâ uiuentem suauiter arce.

Talibus horribilis uolucris deterrita, pennis
 Radit iter liquidum, & sociam sic excitat, ibis?
 Ibis in aduersos? quid stas? rape plumbea tela:
 His animos hebetes, obtusaq; pectora redde:
 Ut pectus liquidum limo torporis inertis
 Pugnatum putet esse satis, iaciatq; per agros
 Arma, nec hostiles credat uigilare phalanges.
 Sic nos terribiles rursus rumpemus in hostes,
 Securosq; citi sternemus Marte secundo.
 Non hoc tentamus presenti uincere bello,
 (Quantum ô) sed posthac sopitos Marte prememus.

Sic ait: illa gradum studio properabat inertis:
 Crispa, genis madidis pallens, impexa, fimoq;
 Sordida, neglecto cultu, caput unguibus uncis
 Scalpit iners, illota manus, rigida ora salua.
 Infelix lolium, frigansq; papauer inertis
 Fumat odore, niger uultus: nox humida mater
 Dicitur. Obriguere oculi, cum bellica Martem
 Vox crepuit: tamen impulsu Ducis agmina Christi
 Aggreditur. Quid nam iuuat ardua bella mouere?
 Pectora quid uano bellandi ardore cremantur?

Inertia.

Martis

MILITIA CHRISTI

Martis opus iaceat: dulci indulgete quieti:
Et placitis lambat somnus complexibus artus.
Pugnatum satis: infernae cubat arbiter aulae.
Repit humi uictus: consumptis uiribus omnis
Irarum latratus hebet. uires labor haurit
Improbis: o dulcis gratissima dona soporis.

Diuus ad haec Paulus. ueh tetrū stercus Auerni:
Lactea tu toti praebes alimenta Baratro.
Ocia lenta iubet nos pigra tabe peresos
Ducere, quo citius languentes opprimat Orcus?
Languoris, socij, scabiem uitate putrentem,
Qua mentes algent, turpiq; sopore putrescunt.
Aeternum Pluto seruans sub pectore uulnus
Euigilat, bellumq; mouet sine fine cruentum.
Securos igitur ne languor frigore stringat.
Res confecta quidem: maior nunc irruet horror.
Arma tenete manu: nitido latus ardeat ense.
Sic ait. hinc Christo statuunt de more trophaeum.

Summe Pater, nostros nimium miserate labores:
Per te leta tuis cessit uictoria seruis:
Ore tibi grates uno persoluimus omnes.
Te sine nymbosos depellere fulminis aestus
Creberei nequit ullus homo: tibi gloria soli.
Insuper oramus duce te uincamus ut hostes,
Horribili quoties inuadent turbine castra:
Ut leti tandem rutilo iungamur Olympo.

Inclita Iuliaci lux, spes, et gloria regni

Carla

32
IOAN. BREIDBACH.

Carlfriderice, animum tali Mauorte calentem
Exerce: tali Rhadamantum uincere ferro
Conuenit, & lethæ ululantia fundere monstra.
Summe Pater patriæ, nostri bone pastor ouilis,
Hæc tua sincero Maestas regia uultu
Carmina suscipiat: quondam grauiore cothurno
Filarudis cytharæ forsân uincire licebit.
Scripsimus hæc Proli: cui te conseruet Olympi
Rector, ut imperij quondam bene tractet habenas,
Commissumq; gregem uitæ perducatur in arua.
Quod faciet, si te magno feruore sequatur.
Stamina Nestoreo fuso tibi læta sorores
Astricolæ ducant, ut ouantes pace regamur:
Ne ruat in caulas lupus, & balantia rumpat
Agmina: tu nostri tutum munimen ouilis:
Te duce Castalij germen uernabit honoris:
Omnia succedant fausto tibi flamine lætæ
Fortunæ: uideas plantati palmitis uuas
Turgentes roseis labris, Prolemq; uirentem
Laudibus: & tandem conscendas culmen Olympi.

FINIS.

St.
Nimble jaly bello porem te pofina
oes a

32 un. 3ll.

10

Handwritten text at the top of the page, possibly a title or header.

Handwritten text in the upper middle section.

Handwritten text in the middle section.

Handwritten text in the lower middle section.

Handwritten text in the lower section.

Behalt uns! Ganz bei ^{unser} ~~unser~~
und wüsst, Ein gültiger ^{Wort} ~~Wort~~
lyst den Dienst

Stephan. Holl.

~~Stephan~~ ~~Holl~~
Stephan

Stephan

Stephan

~~Stephan~~

Stephan


Stephan


Stephan

Stephan

888

Stephan





~~Samstag den 27. Sept. 1788~~

Freitag den 28. Sept. 1788

Freitag den 28. Sept. 1788
Freitag den 28. Sept. 1788

